



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 263. An Judex, si advertat unum è litigantibus omittere aliquid, quo allegato evinceret, possit hoc illi suggerere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

sum, tamen ejus habendam rationem & ineundum consilium cum juris-peritis aliis. Si dicas, debuifse prius loqui. R. Si prius locuti fuissent, repetita fuisset tortura, præ qua voluerunt mortem. Tum autem maximè credendum est reo in loco supplicii, quando revocat denunciations aliorum antea factas, credendum enim est id facere eum urgente conscientia.

Q. 262. Quid præsumendum sit de illis, qui in carcere inveniuntur mortui. R. 1477.

§. I. Si cadaver Rei non confessi nec legitimè convicti reperitur in carcere, non ideo statim privari debet sepulturâ ecclesiasticâ, quia talis non sufficienter probatur esse malus aut à seipso vel dæmone occisus, ergo debet præsumi mortuus morte naturali, quia præsumendum est semper pro reo & pro innocentia. Multa sunt autem mortis naturalis argumenta, uti tortura, carcer, vincula, tristitia &c. *Et si non morte puniantur, inquit S. Aug. de civit. l. 19. c. 6. in ipsis vel ex ipsis plerumque tormentis moriuntur.* Quòd collum sit flexile in omnem partem, nil facit ad rem, nam hoc etiam sæpe est in aliis cadaveribus: quòd si solus lictor dicat inveniri hæc aut illa signa mortis violentæ, illi credi non debet, quia potest mentiri, ne judicetur in tortura excessisse vel ob alias causas, *Spe d. 41.*

§. II. Signa, quòd quis à seipso vel à dæmone sit occisus, sunt seqq., 1. si inveniatur in laqueo mortuus. 2. Si caput planè in tergus sit obtortum. 3. Si in gutture reperiantur lineamenta, quæ constet pridie non adfuisse. 4. Si prima colli vertebra ita emota sit è loco suo, ut retro emineat, *Spe d. 42.*

Q. 263. An Iudex, si advertat unum è litigantibus omittere aliquid, quo allegato evinceret, possit hoc illi suggerere. R. Posse, imò teneri facere 1478

dicunt *Dicast.* de just. l. 2. t. I. d. 5. n. 285. & nonnulli apud *Dianam*, qui hanc sententiam censet probabilissimam; *Baldus* putat non teneri quidem, attamen posse ex charitate, sed *Vasq. Sanch. Castrop.* t. I. d. 2. p. 10. n. 9. *Burgh.* cent. 2. cas. 94. aliique communiter & probabilius dicunt peccare graviter, si faciat, quia debet se gerere tanquam personam publicam in omnibus & tantum procedere ex scientia publica vel per partes hausta, uti docet *S. Tb.* 2. 2. q. 67. a. 2.; deinde debet tantum judicare ex allegatis & probatis per partes ipsas; denique debet esse imparcialis & indifferens ad utramque partem, nec agere unius Advocatum, ergo.

1479 Q. 264. *Quid facere debeat, qui per Iudicem cogitur bis solveere.* R. Qui solvit, & probare non potest, quia non petiit vel amisit apocham, si condemnatur à Iudice, tenetur iterum solveere, & hoc quidem in conscientia, uti habet communis, quia hæc sententia Iudicis est æqua, *Suar. Burgh.* cent. 2. cas. 15. Si tamen certus sit se antea solvisse, poterit postea uti occultâ compensatione, *Sot. Less. Sanch.* in Decal. l. 3. c. 17. n. 15.

1480 Q. 265. *Quid addendum sit circa Iudicis obligationem, quando pro utraque parte litigante est probabilitas.* R. Seqq.

§. I. Putarunt *Med. Salas, Sayr. Dicast. Diana* aliique multi apud *Moyam* T. 1. tr. 2. q. 7. n. 2. & 12. Iudicem posse pro parte probabili ferre sententiam, licet contrariam iudicet probabilioem: idem cum multis alijs tenuit *Mendo* d. 13. à n. 207. in materijs juris, sed opiniones illæ amiserunt probabilitatem, quia *Innoc. XI.* damnavit hanc 2. prop., *probabiliter iudico Iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Cur autem id non possit, rationes afferunt *Eliz.* l. 6. q. 21. §. 6. & *Teril.*